



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 353. Quid, & quotuplex sit cambium, & num contineat usuram aut injustitiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

de ea aliunde, quàm ex pretii excessu vel defectu constiterit, v. g. per scripturam vel confessionem ipsius venditoris vel emptoris. Fagn. in *cu. c. in civitate. n. 7.* & DD, alii.

*Quaest. 352. Emere Chirographum, seu debitum alienum infra valorem, quem debitum secundum se habet, an & quando sit usurarium?*

**R**Esp. Debiti etsi liquidi & minimè litigiosi, cuius tamen solutio est ambigua ob debitoris inopiam, vel ob sumptus, aut ob labores & pericula pro ea obtinenda ab emptore, non est usuraria, aut aliter iniqua emptio, unì etiam, quando ex emptione, & praesenti numeratione pecuniae emergit damnum, vel cesset lucrum, neque usuraria, neque injusta est, est tamen usuraria, (intellige minùs propriè talis juxta dicta, quia non superadditur mutuo) vel saltem injusta, si absentibus dictis titulis fiat dando, v. g. pro debito 100. florenorum 90. sic etiam usurarium est, si debitor v. g. est Princeps, à quo debitum sine magnis laboribus & sumptibus obtinere nequit creditor, emptor autem debiti, quia est praefectus aërii illius, cujus officium sit debitoribus Principis ex ejus aërio solvere, faciliè & sine sumptibus illud potest obtinere. Salas de *usuris. du. 27. n. 8.* Less. *L. 2. c. 21. n. 78.* quitamen *n. 76.* cum Mol. *d. 361. n. 10.* contrarium esse dicit, si emptor non est talis officialis, sed alius, qui tamen ob singularem industriam, merita & gratiam apud Principem debitum faciliè obtinere potest; quia istiusmodi debitum spectatà communi aestimatione, seculàque gratià & favore Principis, industriàque emptoris, minùs valet.

*Quaest. 353. Quid & quotuplex sit cambium, & num contineat usuram aut injustitiam?*

**1.** **R**Esp. Ad primum: Est negotiatio, quã pecunia commutatur cum moderato lucro, quod sit dupliciter, nimirum dum mercatori seu campiori pecunia unius formæ & materiæ, v. g. minutæ monetæ argenteæ pro aureis nummis numeratur, diciturque cambium reale, vel etiam minutum; quia frequentius minoris formæ nummi pro majoribus permutantur. Item manuale, quia in eo numeratio pecuniae à manu ad manum, & ferè eodem tempore ac loco fieri consuevit, vel dum campiori numeratur pecunia in uno loco, v. g. Coloniae, ut in alio, v. g. Viennæ reddatur ejus negotiorum gestori, uti ulu receptum propter itinerantes, ne hi magno incommodo & periculo pecunias secum deferre cogantur, ut cum Covar. de *collat. vel nummis. c. 7. n. 4.* & Mol. de *just. rr. 2. d. 398. à n. 4. h. t. n. 58.*

**2.** **R**esp. Ad secundum: Neutra harum negotiationum cambialium ontinet usuram, aliãve injustitiam, cum ordinariè non desint justì tituli ex permutatione tali ultra pecuniam permutatam aliquid exigendi, qualis respectu campiorum publicã auctoritate constitutorum est ipsum officium campioris, & obligatio comparandi, & paratam semper, aut saepe habendi diversissimæ fortis pecuniam, respectu verò aliorum talem negotiationem exercentium privato & proprio nomine, est lucrum cessans, vel damnum emergens, & aurea vel argentea moneta expensa. Item commoditas negotiationis & deportationis, quam una pecunia prae alia habet. Item, quòd pecunia hujus monetæ alibi pluris va-

leat, & quavis merces ea faciliè comparentur. Item impensæ & pericula subeunda ex pecuniae ab uno in alium locum trajectione. Item labor in pecunia numeranda, scribendis litteris, & rationibus conficiendis. Item sumptus faciendi in famulis hujus negotiationis peritos. Ac denique aestimatio pecuniae prae alia ob ejus raritatem, antiquitatem, & materia puritatem; ita Wiestn. *l. c. ex Nav. in man. c. 17. à n. 282.* Mol. *d. 399. n. 1.* Lessio *l. c. c. 23. a. n. 7.* Laym. *l. c. c. 19. n. 3. & 6.*

*Quaest. 354. Olla fortunæ, ut in Germania vocatur, quid sit, & num usurarium quid alteriusve injustitiæ contineat?*

**1.** **R**Esp. Ad primum: Usus hujus ollæ est, ut quot quis domino illius, seu exponenti illam numerat v. g. denarios, tot ex ea schedas tollere possit, & quod in eis scriptum, sibi habere forte omnino incertiã, cum, quando, qui schedam unicam pro unico denario extrahit, scyphum argenteum, aliãve mercem pretiosam in ea descriptam recipiat, & è contra pro centum denariis schedas extrahat, in quarum nulla quid descriptum inveniat, adeoque nihil præter risum & ludibrium referat.

**2.** **R**esp. Ad secundum: Talis quasi ludus, ceteri si propter intentionem lucri ultra sortem capiendi usurarius, & propter inaequalitatem inter pecuniam collatam, & rem fortè extractam illicitus & injustus videri possit, talis tamen non est, sed potius emptio, quã non ipse scyphus, aliãve res extracta, sed ejus consequendæ spes cum pari, aut etiam certiore jacturæ periculo conjuncta, ideoque non nisi denario aestimata emittitur, & consequenter non plus iniquitatis, quàm alterius lucrosæ spei, v. g. jactus reus, seu capturæ piscium emptio pro exiguo in le continet, & quia huic pretio quandoque major, quandoque minor captura responderet, tam ipsum, quam eo mediante facta emptio justa censetur. Canif. *rr. de usuris. c. 4. num. 8. & 9.* Pirh. *h. t. n. 50.* Wiestn. *n. 59.*

*Quaest. 355. Contractus antichristicos, num usurarius & illicitus?*

**R**Esp. Videndum me de hoc *L. 3. q. 456.*

*Quaest. 356. Num & quando usurarium sit, si creditor fructus ex re oppignorata pro mutuo recipiat?*

**R**Esp. Usurarium esse, si creditor fructus hos perceptos & consumptos non computet in partem fortis sibi debitæ, ad eandem extenuandam, vel extinguendam detractis factis à creditore in eos expensis, & extantes adhuc restituat unã cum pignore soluto debito vel mutuo, ut constat ex *c. perveni. h. t.* ubi id Papa decernit de creditore Clerico, & *c. quoniam. h. t.* ubi idem statuit de creditore Laico, compellendo aliàs eodem per censuras ecclesiasticas ad dictam deputationem vel restitutionem, estque ratio commissæ aliàs in hoc usura, quòd, sicut omne incommodum fortuitò accedens in re oppignorata ad debitorem, tanquam ejus dominum, & non ad creditorem, sic etiam omne commodum ex ea proveniens ad eundem pertinet, *L. si inter. §. quicquid. ff. de pignoriibus.* adeoque fructus hi ei dari debent, vel in sortem computari, nisi sit alius titulus accipiendi ultra sortem, v. g. lucri cessantis, aut damni emergentis ex credito vel mutuo: item, quòd usura sit, quidquid ultra sortem